

FACULTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PROCANCELLARIVS
D. IOH. ERNESTVS HEBENSTREIT

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE PROF. PVBL. ORD. ACAD.
IMP. NAT. CVRIOS. ET GALLICAE MASSILIENSIS
SOCIVS

PANEGYRIN MEDICAM

D. VII. MAII ANNI MDCCXLV.

CELEBRANDAM INDICIT

ET

HISTORIAE NATVRALIS INSECTORVM
INSTITVTIONES
PROPONIT.

~~XVII. #~~

Coll. diss. A
176, 29

176, 29

ACADEMIA LIPSIENSIS
IN

PROGAMM
D. JOH. ERNSTI HERBSTII

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE PROF. PUBL. ORD. ACAD.
SOCIUS

PATHEGYRII MEDICAE

D. JOH. ERNSTI HERBSTII
SACHS. LANDES-
BIBL.

HISTORIA NATURALIS INSECTORUM
INSTITUTIONES
PROPOSITAE

1734



CIC. de Officiis L. I. cap. 31.

*Etiamsi sint alia grauiora atque meliora, tamen nos studia
nostrae naturae regula metimur.*



mmensae subtilitatis animalia, iure omnia in-
fecta appellata sunt ab incisuris, quae nunc
cervicium loco, nunc pectorum atque alui,
praecineta separant membra, tenui modo
fistula cohaerentia. PLINIUS Hist. Nat.

L. IX. c. 2. Ab Aristotele nomen accepit Plinius, Καλῶ,
ait, ἔντομα ἅσα ἔχει κατὰ τὸ σῶμα ἔντομαίς: Infecta ex putre-
dine nasci post FRANCISCVM REDI Opusc. siue Exp.
circa generationem Insectorum, Amstel. 1686. 8. proponere
nemo ausus est, quorum ordines vel iuxta varios nascendi
modos, vel iuxta organorum vnius cuiusque formam, vitae-
que rationes, accuratius exposuerunt IOANNES SWAM-
MERDAMMIVS, Amstelaedamensis, Historia generali In-
sectorum, Belgice 1669. 4. Latine 1685. 4. augustiore for-
ma, Bibliorum naturae titulo, 1737. fol. IOANNES RAIVS
Historia Insectorum op. Posth. Lond. 1710. 4. In horum hi-
A 2 storia

IV

storia, editis operis sui partibus VI, adhuc versatur Celebris
 REAUMVRIUS Memoires pour seruir a l'histoire des infe-
 ctes. Sine methodo, ortum et progressum Insectorum, accurate
 tamen, describunt IOH. LEONHARD. FRISCH Beschreibung
 von allerley Insecten in Teutschland part. XIII. Berl. 1736. 4.
 et qui Insecta viuis coloribus delineare feliciter suscepit August
 Ioh. Rösel, Norimbergensis; Reliqui, *Moufetus*, *Goedartus*, alii,
 suas merentur laudes. Consideramus insecta vel historice, hinc
reptilia, erucas, vermes, *volatica*, papiliones, muscas, scarabaeos,
natatilia, phrygania vermesque varios aquaticos, *amphibia*,
 hydrocantharum, apem fucumue aquaticum, sine respectu ad
 metamorphoses enumeramus, vel *physice* de insectis proponi-
 mus, et vnus cuiusque ortum progressumque iuxta naturae re-
 gulas, quas illa circa insectorum metamorphoses stabiliuit, erui-
 mus, hinc organa vitae, istis animalculis data, discimus. Tantus
 autem est Insectorum numerus, quem duodecim centenariis
 Swammerdamius aestimat, vt, pariter quam in re herbaria, me-
 thodo opus sit ad instruendos eorum ordines. Hanc oportet
 ex metamorphoseos fundamentis erui, quibus si quis ad-
 iutus fuerit, haud facile *erucam*, *eius medium statum aureliam*
aut papilionem erucae tanquam distincta animalia considerabit
 cum vnum sint animalculum, diuersa aetate visum; *vermes*, scili-
 cet atque *erucae* sunt animalcula in aetate iuniore visa, quare
 non generant, nec eruca, cum eruca, vermis cum verme coit;
 chrysalis autem pubertatem nubilemque Insecti aetatem notat,
 nympa enim seu sponsa dicitur abinde, quod sub isto velo ad
 nuptias sese praeparent Insecta; vix emerferunt phalaena mas
 vel foemina, musca mas vel foemina, cum in mutuos ample-
 xus ruunt, et perfecto opere, postquam mater ouula peperit,
 tanquam senio confectae, exanimantur. Ast non omnia In-
 secta mutantur, sunt enim quaedam ἀμόρφωτα, quae in isto, quo
 ex ouulo prodierunt, statu, per vitam manent, hoc vnum au-
 tem habent vt aliquoties cuticulam exuant. Horum ἀμόρφωτων
 seriem

V

seriem tradit R A I V S, dum alia *ἀποδα*, lumbricos terrestres atque intestinales, vel aquaticas hirudines adducit, alia autem pedata affert, *hexapoda* quidem, pediculum humanum vel animalium, ricinum canibus infestum, pulicem, cimicem lectularium, tineamque librorum, *οκτοποδα* autem, araneum, cuius species, pedum mensura, telas texendi modo, et cum L I S T E R O in *historia animalium angliae*, oculorum, quos binos octonosque gerunt, numero, metimur, de quo argumento Eleazar A L B I N V S *history of spiders*, Lond. 1736. fol. prolixè egit; *polypoda* tandem afellos, lulos atque scolopendras numerat. Swammerdammius quidem, nihil insectorum, nisi quod mutetur, admittens, animalcula ista sub primo suo ordine *nympha animalium* habet, ouum ex quo nascuntur pro nympha accipiens, ast, cum nulla istis animantibus membra, postquam ouo exierunt, accedant, et sola cuticulae, quam patiuntur, proiectio, metamorphosin haud inferat, a metamorphomenis ista solícite separamus; Imo si Reaumurium lego, esse, quae viuos foetus statim perfectos edant insecta, Progalinsecta huic Autori dicta, video, istos puta pediculos virides, quos circa caules sambuci, fraxini, obseruamus, ita quidem vt de natura Insectorum, *τὸ mutari*, haud esse putem. Plurima tamen Insectorum, in statum, a priori, quem ab ouo habebant, diuersum abeunt, et mutantur facta membrorum euolutione; Si qui metamorphoseos terminum auersantur, epigenesi seu fera partium penes insecta explicatione, effici, quo de reptili insecto volaticum proueniat, pronuncient: Verba valent sicut nummi ex arbitrio dantis et accipientis. Durum certe dictum est ex eruca papilionem fieri, ex verme muscam vel scarabaeum, cum sub erucæ habitu papilio iam ambulet, id quod Swammerdammius Insectum in insecto nominat, doceatque erucæ mutationem subeuntis dissectio, omnibus partibus absolutum sub eius epidermide papilionem abscondi. Ipse status medius per quem reptilia ad conditionem volantis Insecti transeunt,

VI

chrysalidis vel *aureliae*, quando de papilionum epigenesi, *nymphae* autem titulo, quando de vermibus in muscam atque scarabaeum prouectis sermo est, insigniuntur. Utamur putaminis, quem ab Aristotele accepimus, termino, cum paucae ex calyptris de contracta rigidaque erucae cuticula factis sint auro lucentes. Licebit etiam laruas vel personas, qui terminus a figura folliculi desumptus est, compellare; Ast paucos eo usque scholasticos fore putamus ut offendantur consueta voce *Aureliae*. Diuersi sunt istius epigeneseos vel metamorphoseos Insectorum modi; Quaedam Insecta postquam ex ouo matris alitis prouenerunt, vermiformam aliquamdiu seruant, hinc exuta aliquoties pellicula, tubercula quatuor iuxta thoracem capiunt, ultimisque exuuiis proiectis, absconditas haecenus alas explicant: Haec animantia, quia durante mutatione haud quiescunt, nec desiderium cibandi, prout aliis Insectis in metamorphosi versantibus moris est, abiiciunt, dicuntur *Nymphas* habere *ambulantes* et alterum Swammerdamii ordinem *Nympha Vermium* constituunt: Hoc in ordine stant *Libellae* seu *Perlae*, quas a congeneribus eandem mutationis rationem habentibus organorum diuersitas dirimit. Habentur enim hac Classe Insecta

- Alis quatuor longis membranaceis omnibus,
ore armato *Libellae*
- ore inermi *Ephemerae*
- inferioribus membranaceis, superioribus
corneis, *Locustae variae*, quarum, quae
minima, *Locusta pulex*, alia ab oculorum
fulgore *Chrysope*, *Testudinaria*
alia dicitur, ex quibus omnibus foemina
tantum alis stridet, quod ita etiam
est cum *Gryllis* tam syluestribus quam
domesticis.

Alis

Alis quatuor curtis, superioribus corneis, inferioribus membranaceis

Terricolae, *Gryllotalpa*

Vagae, *Forficulae*, atque *Cymices* quos foetor et os proboscide flexum signat; ex aquatilibus *Tipula*, animalculum, aquarum superficie cursitans, quod aculeo oris notatur.

Condonandum adeoque Aldrouando, Ionstano, quod vnum animal ante impenne nunc alatum, pro diuersis haberent, Bruchumque alium, Locustam aliam appellarent, quodque Mouffeto Libellae vermis *pulex marinus* esse dicatur. Aliter est cum insectis, quae quando circumrepere desinunt, proiectis aliquoties exuuiis contracta indurataque cuticula, quia manent intra istam, quam sibi de propria cute fecerunt, calyptram, inque illa, perfectam celebrantes *ἀστυίαν*, abscondita haecenus membra explicant. Non equidem omni carent motu nymphae istae, non enim aliter, ac foetus in vtero animantium, embryo chrysalidis vel nymphae subinde sublit, haud tamen ambulant, nisi quod Tinearum et domesticarum et syluestrium et aquatiliu vermes *domiporti* abinde dicti, suam aliquamdiu nympham, non aliter ac cochleae domiportae, circumferant, donec penitus quiescant atque mutantur, vel quod formicarum nymphae, a matribus foetus sui gerulis circumducantur, id quod tamen ad motum animalis haud refertur. Quiescunt ergo Nymphae plerorumque insectorum, qui tertius est mutationis Swammerdamianae ordo. Manent autem quaedam ex Insectis, quando mutationis negotium suscipiunt, in isto intra quem enutriti sunt, loco dum alia, materiem qua pasti erant, deserunt, et foris mutantur:

VIII

tur: Intra suum mutantur pabulum Muscae quadripennes forficulis et aculeo armatae, Apes, Fuci, Crabrones, Bombylii et Pseudosphecae, dum mater in alueolo, varia forma pro vniuscuiusque instinctu fabrefacto, recondit ouulum, hinc vermibus pascitur *erithaco*, quo succi de florum nectariis collecti, genere, ista Insecta suos pullos enutriunt. Similiter intra suum pabulum mutantur omnia Gallinsecta, vermiculi scilicet, quorum ouula sub epidermide vegetabilium, foliorum, fructuum, corticum, a matribus recondita, tumores excitant, in quibus, prout est in omni Ichneumone arboreo, durante mutatione, absconduntur. Huc referre licebit vermes Ligniperdas Cossos Xylophagos, qui in putridis lignis suam celebrant epigenesin fiuntque scarabaei, antennis, articulatis, plus vel minus longis, saepe odoriferi, ex quibus sunt, qui sonum edunt, *fidicen* atque *sonicephalus*, quem horologium, mortis nuntium, plebeii appellitant. Praeque tamen reptilia, deserunt, quo liberaliter nutriti fuerunt, pabulum inque remota paululum statione mutantur, id quod non tantum vermibus vegetabilium destructoribus in more est, sed et vermibus carni incolarum ita euenit, ut saturati recedant et foris mutantur, notissimum enim, dermetas ceruorum vermes qui sub cute animalis repunt et humanae etiam cutis vermes, venae medinensis nomine celebratos, vel qui intra nares veruecum inque ano pecorum stabulantur, ex ouis ichneumonum illuc delatis, ortos, tandem emigrare, et foris transformari, quandoquidem et ichneumones, qui ouula sua intra erucas erucarumque chrysalides recondunt, raro intra cadauer, sed foris, modo nudis, modo obuolutis serico nymphis, mutantur. Sicut autem vana est methodi cuiusdam anomaliis cariturae fiducia, ita etiam hic euenit, quo ex ichneumonibus haud pauci intra erucae vel chrysalidis aluum conuertantur; Abinde miri IOAN. GOEDARTI, de insectis, errores, quos

quos correxit *Listerus*. Edit. Lond. 1685. 8. Goedartus ichneumonas pingit passim tanquam veram erucarum atque chrysalidum sobolem, cum isti omnes spurii sint foetus, oporteatque erucam, immutabili naturae lege, in papilionem vel phalaenam conuerti. Quod si ergo insecta, quae extra suum, quo exsatiati fuerunt pabulum, mutantur, in ordines redigere velim, opinatus sum, ita instrui posse seriem, ut disponantur seorsim insecta, quae calyptram metamorphoseos suae cum futura volucris symmorpham gerunt, seorsim quae eandem habent heteromorpham. Scilicet multorum insectorum, sub quibus mutantur, putamina, talem nata sunt formam ut iam imaginem insecti volucris praeuideas et istas calyptras potissimum nymphas appellauit Swammerdammius, quali utuntur, et, de quibus iam actum est, apes, crabrones, fuci, hinc scarabaei omnes, ex malacopterygiis autem Formica, quam, propterea quod mares saltim sint alites, foeminae saltim implumes, alitis nomine indignam haud censeo, cum et inter phalaenas foeminae haud paucae sint ferè implumes. Aliorum autem et plerorumque meo iudicio insectorum calyptrae disparem habent a futuro volatico formam nec nisi praemonitus, videas phalaenam quodammodo in chrysalide delinearari. Ex eiusmodi calyptris heteromorphis autem cum diuersa indole insecta proueniant, oportet me distinctionem adducere quae negotium istud soluat. Scilicet clare videmus, quaedam putamina ex meris annulis esse constructa, quaedam autem saltim abdomine suo annulis distingui, cum thorax sit personatus, illa de verme facta sunt et muscam habent, hae de eruca, et papilionem gerunt, quibus etiam propter figuram laruis vel personis nomen est: Haec duo sunt fulcra diuisionis, *papilionum* qui erucis, *muscarum* quae vermibus respondent; In his autem vberiore modo digerendis quantus labor sit, illi norunt, qui immensam istorum insectorum seriem secum re-

B

putant,

X

putant, quapropter de characteribus cogitandum est, quibus classes instruere possis. Sermo fit nobis de papilionibus ante, cum et forma et numero excellant, inde de reliquis. Qui in isto negotio curiosiores sunt, nunquam papilionem examinant vel ordinant, quin ad eius erucam atque chrysalidem animum simul aduertant: Nec male agunt, qui ouula, ex quibus eruculae prouenerint, examinant, est enim in istorum inque industriae, qua mater ouula sua ordinat, contemplationibus haud leuis iucunditas. Postquam chrysalide sua exiuerunt papilio vel phalaena, mas quidem paruus atque agilis, foemina autem maiuscula, abdomine turgens, in mutuos amplexus ruunt, hinc ouula paucis post diebus, praeconcepata iam ouariis, prout chrysalidis anatome docet, excluduntur, dum mater *duratura per hyemem ouula* vel serico de pilis suis contexto obducit quod phalaena lanicaca facit, vel fissis arborum corticibus alioque modo recondit, *aestiuam* autem, mox iuxta circumque caules, mox supra infraue folium alioque modo, formis etiam discrepantibus ordinat, et glutine compingit. Exinde pullulant eruculae, subitaneo incremento auctae ut pote voracissimae, omnes equidem annulis distinctae plerumque duodecim, pedum tamen numero, hinc cutis laeuigie vel asperitate, duratione etiam vel victum appetendi modo, tandemque chrysalide et loco ubi mutationem suscipiunt, discrepantes. Habemus enim erucas ad minimum *octopodas*, quodsi hexapoda videris, non erucam sed vermem, qui scarabaeus erit, te videre puta, hinc *decapodas*, *dodecapodas*, *Tessarescedecapodas*, *Hexadecapodas*, *Icosicedipodas*, ultra quem numerum pedes haud eunt, iuxta quem pedum numerum REAUMVRIVS, erucas ordinavit, dum GOEDARTVS a laeuigie vel asperitate discrimen sumit, quod haud incommodum est, cum pleraeque hirtae phalaenam, glabrae papilionem in visceribus circumferant. Accedit pabuli selectus,

constans

constans enim est ille instinctus, quo matres ouula sua non promiscue cuique plantae, sed praedelectae, communicant, vt proinde habeantur erucae *Vrticarum*, *Rubi*, *Oleandri*, *Vitis*, *Brassicae*, *Quercus*, quamuis propterea et vicinis plantis haud parcere soleant voracissimi hospites. Maximum autem est et quod methodum propius attinet, momentum illud, quo erucae vel ad metamorphosin disponuntur, vel eandem perficiunt. Postquam enim, mox parum innox diu vixit eruca, sunt enim quae dies, sunt quae menses imo annum viuunt, subito a cibo abstinet, seseque contrahit, suamque cutem conuertit in Aureliam. Id quod ita euenit, vt vel plures gregariae iuxta se mutantur vel solitariae discurrent sibi que commodum mutationi locum seligant, dum quaedam sub terra reconditae chrysalidem induunt, quaedam inter folia conuoluta et admirabili arte in tubum composita quiescunt, prout eruca foeniculi vel tineae arborum id efficiunt, quaedam nudae et sub dio transformentur. Est enim in ipsius aureliae fulcimento vel inuolucro insignis diuersitas, ad methodum instruendam cum primis faciens, dum aliae nudae iacent, aliae serico vel puro, quod est Bombycis vel heterogeneis mixto, rara densaue tela, obducuntur. Nudae chrysalides, forma et colore discrepant, habemus enim aureo argenteo colore notatas, angulosas, spinosas, ellipsoideas, ad perpendiculum pendentes, vel ad horizontem filo ligatas. Est etiam in consideratione harum formarum non leuis commoditas coniecturam de futuro papilione instituendi, nouimus enim ellipsoideas, quas propterea nymphiformes appellamus, phalaenam intus alere, reliquas papilionem, siquidem et, quae serico obuolutae sunt, pleraeque ellipticam formam referant propterea etiam phalaenam generent. Singularis est erucae fila nentis industria et fere sapientia, quam in Bombyce MALPIGHIVS descripsit et admiratus est: non enim

enim tantum serico in globum conuoluto suam abscondunt chrysalidem, sed et hybernacula sibi, ovis, pullisque per hyemem durantibus, vel stabilimentum suae aureliae sibi exinde conficiunt. Immiscent autem erucae globo suo sericeo *folia*, prout est in eruca trifolii, linariae, graminis, *rasuras lignorum et corticum, proprium stercus, terram*, quam mutationis in gratiam subeunt, *lanas* etiam prout est in eruculis domiportis seu Tineis, quarum quae aquatica est ex conchyliis admirabili artificio chrysalidi suae inuolucrum elaborat. Non eadem est omnium erucarum sub sua chrysalide duratio, dum, quae *aestiuae sunt*, decimo tertio ad summum vicesimoue primo die nouam prolem emittunt, quae autem *hybernant* nouem saepe vel decem menses suam intra chrysalidem sine villo alimento manent., nisi quod forte circumfluus humor, amnii liquori comparandus aliquid ad nutritionem conferre potuerit, egrediuntur enim papiliones madidi. Ita ex chrysalide tanquam ouo suo altero, tertio quodam partu, prout iam ARISTOTELI notum fuit emergit papilio, *omnia*, ait philosophus, *post vermis naturam motu cessant et putamine obarescunt, mox rupto putamine, exit, velut ex ouo, animal tertia perfectum generatione idque pennatum, quod iure multi mirentur*, de Gen. Animal. Lib. I. cap. 16. Praeterea ex consideratione partium, quae papilionis corpus efficiunt, fluunt varia diuisionum momenta: Si antennis intuearis, facile dignoscas *Phalaenam* quae antennis gerit plumosas vel articulatas, a *papilione* cuius antennae clauatae sunt et in tuberculum protensae, maribus barbula insignitis, Si proboscidem respicias qua ex nectariis florum mel sugunt, et qua saltem phalaenarum foeminae carent, vtpote nullius nutritionis indigae absolutoque partu morientes, similiter phalaenas a papilione diuturno disgregas. Accedit alarum forma

ma quarum positus papilionem a phalaena distinguit, cum illius alae omnes sint conspicuae, huius inferiores sub superioribus abscondantur, ita et in utroque genere porro respicimus ad alarum, dum animalculum a volatu quiescit, directionem; papilionum enim alii, interea dum sedent alas habent *surrectas* alii ad *horizontem explicatas*; ipsarum alarum denique integritas, fissura, lacinia, pictura, alitis magnitudo, et si quae sunt alia, inferiores ordines constituunt; phalaenas autem, quas praeterea a papilionibus distinguit illud, quod *pedibus suis sex incedant omnibus*, cum plerique papilionum, anterioribus binis ad incesum haud utantur, videmus mox integras possidere alas, mox plurimum diuisas, dum porro alarum color, insecti magnitudo, diuisionis momenta suppeditant: Sicut autem *Eru-carum* est in papilionem conuerti, ita *Vermium* mos est si apodes fuerint *Muscam* si hexapodes, *scarabaeum* per metamorphoseos viam, producere. Hanc regulam satis firmam esse inuenimus si sermo sit *de Insectis per nympham quiescentem* mutatis; nam in genere de vermibus hexapodibus si loquar, non tantum scarabaeos sed etiam *Libellas Ephemeris*, et locustas, et omnia *Nymphae ambulantis* Insecta exinde fieri intelligo. Vt autem vermium non pedibus, sed annulis repentium sese conuertendi mores ordinarem, respiciendum mihi fuit ad characteres quosdam, qui doceant qualis musca ex aliquo verme apode oriri debeat, cum ex omni verme apode equidem musca, sed non semper musca bipennis, saepe etiam quadripennis emergat. Proinde si qui vermes apodes in tuberculis gallsue vegetabilium, in fructibus et viuorum animantium carnibus generantur, ichneumonas seu muscas quadripennes omnes esse arbitror, forfice iuxta os et aculeo iuxta anum armatas: si qui autem carnibus mortuis putridisque rebus enutriuntur

XIV

vermes pedibus destituti, *muscae bipennes* fiunt, quorum et muscae, ichneumonis vel vespae vel fuci corpore referendi sunt. Similiter vermes apodes aquatici in muscam bipennem conuertuntur exemplo *Culicis* et aliarum muscarum quamplurimum, quae putrescentibus aquis oriuntur, vermium feminio a matre musca in aquas putridas proiecto, cuius familiae infinita fere est et ad inuisibilia vsque procedens series. Muscarum praeterea bipennium ordines, a colore, similitudine cum papilionibus, fucis, apibus, ab aculeis, surgendi modo, foetore, magnitudine, pedum forma, determinare possis. Status medius per quem vermes tam apodes quam pedati eunt, sicut *Nympha* dicitur, quandoquidem calyptrae eorum, personatae aut larvatae haud sunt, quod erat *Aureliarum*, ita in se tamen valde discrepant. Quaedam nymphae *ellipsoideae* sunt, quales habent muscae omnes tam bipennes quam quadripennes; *vermis formam retinent aliae*, prout mutantur quidam scarabaei carniū et foliorum destructores; *futuri insecti Iconem gerunt aliae*, quod est omnium scarabaeorum, tam aquatiliū quam eorum qui in sicco viuunt, quorum summa genera si disponere velim, partim ad alarum conditionem partim ad vitae genus et ad victum respiciendum est; quare ex his alii sunt *aquatici*, alii *terreni*, alii *domestici*, alii tandem arborei, foliorum fructuumque vermibus producti. Nolim autem quempiam vaginipennia inter nymphas mobiles enarrata, cimices, ricinum volantem, apem, fucum aquaticum et alia superius adducta blattamue, quae in ista familia vnica impennis est, scarabaeis immiscere, quamuis enim forma vermium suorum cum scarabaeis conueniant, nympha tamen immobilis scarabaeos diuerso prorsus intra methodum loco collocat. Subdiuisio scarabaeorum haud erit difficilis, si eos seorsim nomines, qui intra coccum vegetabilem mutantur, Illicis puta cocciglandiferae

diferae

diferae scarabaeolum *Kermes*, aliumque opuntiae, *Coccionellam*, *Coccum*que polonicam iuxta radices *Alchimillae gramineo folio* ex verme nascentem, si peculiari loco constituas, lignorum putridorum vermes, nasicornem, capricornos, cantharidas. Si *Hemiculeopteros*, quorum alae totum corpus haud tegunt, proscarabaeosque fere apteros, attendas, tunc enim, si qui a moribus dicuntur, *fimetarii*, a cocco circa aureliam extracta pilularii, elastici, facile suis classibus addici poterint. Non autem propterea suis anomaliis carebit methodus; Ex eruculis quibusdam muscas quadripennes, ex aliis scarabaeos, prout est in *eruca asparagi*, nasci videmus, quaedam ex muscis sunt viuiparae, ita vt de regulis generalibus perfecta analogia gaudentibus omnique exceptione destitutis fere desperandum sit. Si tamen ex vlla, certe ex metamorphoseos insectorum consideratione firmam stabilemque diuisionem sperari posse arbitror, cum ista, quae vulgo proponi solet generum dispositio, qua insecta iuxta alarum duritiem numerumque ordinantur, valde sit anceps, in qua videas, cimices scarabaeis libellas ichneumonibus permisceri, quorum diuersa tamen est nascendi indoles: Fecit Commentatiunculae huic opportunitatem publice indicanda Panegyris, qua ad meritos honores adscendet

CLARISSIMVS ATQVE NOBILISSIMVS
 ERNESTVS SIEGFRIED
 ADOLPHVS,
 HIRSCHBERGA SILESIVS,
 MEDICINAE BACCALAVREVS,

Is a parentibus optimis natus, ab ineunte aetate liberaliter nutritus, bonarum artium, hinc medicinae studio se deuouens,
 ex

XVI

ex quo in hac Academia salutarem doctrinam didicit, nihil omisit eorum, quae ad solidam eruditionem facere poterant, suaeque, quam affectus est scientiae experimenta in utroque examine fecit, et praeceptorum fauorem bene meruit, quo ipso dignus habitus fuit, cui LICENTIA summos in arte honores sumendi, decernatur. Faciam ego, pro ista quam accepi Procancellarii facultate, postquam noster, *Dissertatione de Collo virilis vesicae cathetere et unguentis illi inferendis*, publice proposita, suas animi virtutes ediderit, ut isthanc dignitatem, pro more maiorum, legitime consequatur. Ut autem maior sit Actus publici solemnitas Vos ego RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, CELSISSIME PRINCEPS, ILLUSTRISSIME LANDGRAVI, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES UTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES, illo, quo unumquemque vestrum prosequor, cultu atque amore compello, quo ordinis nostri desideria praesentia vestra explere haud dedignemini.

L I P S I A E
 EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



.. XI
 Coll. Diss. A 176 unsc 29